

Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum.

Léctio libri Apocalýpsis
beáti Ioánnis apóstoli

21, 1-5 a

- ¹ **E**go, Ioánnes, vidi cælum novum et terram novam;
primum enim cælum et prima terra abiérunt,
et mare iam non est.
- ² Et civitátem sanctam Ierúsalem novam vidi
descendéntem de cælo a Deo,
parátam sicut sponsam ornátam viro suo.
- ³ Et audívi vocem magnam de throno dicéntem:
«Ecce tabernáculum Dei cum homínibus!
Et habitábit cum eis,
et ipsi pópuli eius erunt,
et ipse Deus cum eis erit eórum Deus,
- ⁴ et abstérget omnem lácrimam ab óculis eórum,
et mors ultra non erit,
neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra,
quia prima abiérunt».
- ⁵ Et dixit, qui sedébat super throno:
«Ecce nova fácio ómnia».
Et dicit:
«Scribe: Hæc verba fidélia sunt et vera».

Verbum Dómini.